

mobilis. 2. in pignore res traditur creditori, in hypotheca sola conventionione res obligatur.

112. Pignore non licet uti contra voluntatem domini, quia est res aliena ad securitatem tantum, & non ad usum tradita. Præsumitur autem dominus consentire, si nullum ei damnum obveniat, ut si alter utatur libro, vel similibus. Quod si invito domino quis utatur pignore, debet valorem usus, sicuti & fructus omnes, si res sit ex se fructifera, compensare, cum res quælibet domino suo fructificet. Non possunt oppignorari, quæ non possunt vendi, v. g. Ecclesiæ, nisi in gravi necessitate: pariter immobilia, & pretiosa mobilia, Divino cultui consecrata, ut calices, planetæ cet. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, potest illud alteri in pignus dare, sed non pro majori quantitate. Neque potest illud alteri vendere, debitori non solvente, nisi post biennium, & eo prius monito. Eandem vero rem non licet dare pluribus in pignus, vel hypothecam, nisi sufficiens sit ad solvendum omnibus, vel posteriores de priore hypotheca admoneantur.

113. Cum in contractu pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, ac fructus inde lucratur, donec debitum ipsi restituatur; dicitur contractus *antichriseos*, qui natura sua usurarius est, cum creditor aliquid lucri percipiat ultra sortem causa solius mutui. Possunt tamen intercedere justi tituli, v. g. si fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quæ jure census super eandem constituti exigi posset; aut si alioquin lucrum ces-

set, vel damnum emergat, tum debitum differtur.

CAPUT XII.

De Contractu Societatis.

114. *Quæst. 1.* Quid sit contractus societatis, & quomodo sit licitus? R. 1. is est, cum aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, ut pecunia, animalibus, industria, labore, cet. commune aliquod lucrum faciunt, quod uti & damnum pro ratione, & rata cujusque dividunt inter se. Quem contractum natura sua licitum esse, constat ex jure civ. ff. *de socio*, & ex jure can. e. 7. *de donat.* Ut autem licita sit societas, requiritur. 1. ut fiat ad negotiationem justam, & honestam, alioquin evadet societas iniqua. 2. ut singuli socii conferant aliquid aptum ad lucrandum, sive operam, sive industriam, sive pecuniam, quæ licet ex se sit sterilis, talis tamen non est, prout subest industriæ negotiatoris. 3. ut in lucro servetur æqualitas pro ratione eorum, quæ quisque contulit, ut habetur l. 29. ff. *pro socio*. 4. ut impensæ, ac periculum sint communia ex l. 67. ff. *pro socio*, ut qui sentit commodum, sentiat & incommodum. Denique ut ad certum tempus ineatur societas, ante quod repetere non liceat, quod in ea collatum est.

115. Hinc plus lucrari debet, is qui confert pecuniam, & operam, quam qui vel solam pecuniam vel solam operam. Quod si perit sors,

seu capitalis summa, quam quis contulit, tribuenti perit, quia apud ipsum manet dominium pecuniæ; si tamen perit culpa alicujus socii, etiamsi lata, & levi, socius tenetur restituere domino ex l. 73. ff. pro socio; nisi aliter ferat alicujus loci lex, vel consuetudo, ut in Gallia, ubi teste Doujat, socii non tenentur nisi de culpa lata, & dolo. Damna autem, & expensæ ita debent esse communes sociis, ut quæcumque alter expendat, vel perdat causa societatis initæ, possit jure repetere; secus autem de illis, quæ non nisi remote ad societatem pertinent.

116. *Quæst. 2.* An dum in societatem unus confert pecuniã, alter laborem, in fine societatis ante omnia capitale sit domino restituendum? Affirmat vera, & communis sententia ex bulla Sixti V. *Extrav. Detestabilis* §. 2. udi dicitur: *Si finita societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi sociò recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter contrahentes legitime conventum sit.* Ratio autem est, quia pecunia collata in societatem est communis sociis quoad usum, & lucri commodum, sed non quoad dominium, & proprietatem, ut expresse tradit D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. Sicut ergo pecunia, si perit, domino perit, ita si supersit, domino superest. Unde si finita societate, sola remanet sors, suæ pecunia, non erit injustitia, si ista domino restituatur; sicut enim socius amittit fructum suæ industriæ sic iste amittit commodum lucri pecuniæ, quæ negotiationi exposita, apta est lucrum parere. Verum

æstimari debet valor laboris, & industriæ, & comparandus cum commodo pecuniæ ad lucrandum; ut si ille plus valeat, aliquid socio ex pecunia tribuatur ad compensandum valorem industriæ, nisi aliter conventum sit. Quæ ratio haberi quoque debet in distributione lucri post deductum capitale, ita ut servetur inter socios æqualitas.

117. Licitum autem est aliquando pactum ut in fine societatis etiam capitale dividatur, modo lucrum cum æquitate dividatur, ut in societate animalium fieri solet multis in locis, teste Cabassutio. Non licet tamen pacisci, ut empta merce, ante omnia durante societate, capitale domino restituatur, & deinde quod superest, æqualiter dividatur; nam æquale non est periculum inter mercatorem, & dominum pecuniæ, cum hic capitale suum in principio salvum faciat, dum mercator subjacet periculo sortis, & lucri, si merx pereat. Neque licet pactum, ut commune sit utriusque damnum, si sors non sit communis; licet vero, si conveniatur, ut sicut damnum, ita & sors utrique sit communis. Ita Azor, Roncaglia cum aliis.

118. *Quæst. 3.* Quandoam finitur contractus societatis? R. 1. completo tempore ad societatem constituto, aut finita negotiatione ex l. *actiones*. 2. mutua sociorum consensione, etiam tacita, ut si alter incipiat seorsim negotiari pro se ipso ex l. *itaque*. Si vero quis, socio invito, renunciet ante tempus, tenetur ad compensationem damni, nisi necessarium sit ad bonum publicum, aut nulla sit spes obtinendi fi-

nem societatis, aut alter pacta non servet. Finitur 3. societas morte alterius socii, nec transit ad hæredes, etiam si aliter sit conventum, ex l. *Verum §. in hæred. ff. pro socio*. Excipit Bonac. si pactum sit juramento firmatum: sicut etiam non finitur societas circa negotia cœpta, neque circa vectigalia, aut alias res publicas conductas. Finitur 4. per mortem civilem, v. g. exilium, aut professionem solemnem socii ex l. *virum* cit. Item si socius infirmitate, aut egestate laborans, aut in carcerem conjectus non possit pecuniam, vel operam præstare; aut si pereat collata pecunia, etsi aliam habeat, quam possit conferre?

119. *Quest. 4.* Quid sit contractus trinus, & an sit licitus? R. is est, cum ad contractum societatis adjunguntur alii duo contractus, assécurationis, & venditionis. Sit exemplum: Titius init societatem cum mercatore, & confert ei mille aureos, ex quibus quotannis sperat lucrari tercentos: hujus lucri dimidium debetur Titio jurè societatis una cum sorte; sed quia ad eum quoque pertinet sortis periculum, cum mercatore paciscitur, ut ipse periculum suscipiat, & sortem reddat indemnem, in cujus oneris compensationem relinquit ei majorem partem lucri sperati. Rursus quia spes ista lucri incerta est, ideo partem hanc lucri, v. g. centum aureos eidem vendit pro quinquaginta annis certis. Atque hoc pacto Titius id lucri facit, & capitale servat indemne. Jam vero consentiunt omnes, non esse licitum hunc trinum contractum, si fiat animo fœne-

randi, aut cum socio, qui pecuniam illam non possit applicare ad negotiandum; esset enim ficta societas, & vera usura, nec adesset titulus aliquid ultra sortem lucrandi.

120. An autem per hos tres contractus, bona fide initos, possit lucrum aliquod exigi, salvo capitali? magna lis est inter DD. Negant Sotus, Habret, Azor, & alii, quibus favere videtur S. Antoninus. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum est, quia in trino contractu aliquid supra sortem exigitur absque justo titulo; justitia enim fundatur in societate, quæ quidem per assecurationem sortis omnino destruitur, cum ratio societatis exigat, ut sicut lucrum, ita periculum sortis, & damnum inter socios sit commune. 2. per assecurationem contractus societatis evadit mutuum virtuale; dempto enim periculo sortis, & lucri, solum remanet socio usus pecuniæ, ut pecuniæ, adeoque sterilis, qualis est in mutuo. Accedit, non servari æqualitatem inter socios; nam qui solum confert pecuniam, natura sua sterilem, particeps est lucri, & non damni, nec periculi; alter vero incertus de lucro, subit totum damnum, & periculum. Hinc merito Sixtus V. in Bulla *de testabilis* damnavit usuræ hos contractus. Et Pius V. in sua Extrav. dixit: *conventiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.*

121. Nihilominus sententia contraria communior est inter TT. eamque probarunt plures Academiæ, & facultates Theologicæ, & con-

formis est praxi communi contrahendi in Hispania, Gallia, & Italia, ut testantur Salmanticensis. Ratio hujus sententiæ potissima est quia si contractus isti societati adjecti, tenerent cum diversis personis, vel cum eodem socio diversis temporibus, certe subsisterent; cur ergo conjuncti non valebunt? Neque enim, inquit Navarrus, & Lugo, conjecto in socium periculo sortis, destruitur societas; ut videre est in contractu commodati, in quo licet periculum rei fortuitum natura sua spectet ad dominum, juxta tamen compensatione facta, potest illi adjici pactum, ut periculum sit penes commodatarium *ex c. un. de Commod.* quin exinde pereat contractus commodati. Sic etiam in contractu Societatis, de cujus essentia non est, ut commune sit periculum damni. Constat *ex l. Si non fuerit §. ita ff. pro socio*, ubi legitur: *ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit, Cassius putat.* Nec verum est in Societate, remoto sortis periculo, remanere virtuale mutuum; cum is, qui confert pecuniam, non transferat dominium in socium, sed illam applicet ad negotiandum sine animo fœnerandi. Et quamvis videatur esse inæqualitas in hoc contractu; cum ille non sentiat incommodum periculi sortis; at sentit incommodum minoris lucri: socius autem satis compensatur per commodum lucri majoris, atque ita servatur æqualitas Societatis. Ad Bullam autem Sixti V. varie respondent varii: Alii cum Salmant. negant eam esse receptam, vel esse volunt consuetudine abrogatam, ut & Bul-

Iam Pii V. Alii dicunt in ea solum damnari alia pacta usuraria, atque ita declaratum esse ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo, ait De-Lugo, idemque affirmatum esse a Card. Toledo, & S. Severina, quibus commissa fuerat cura Bullam producendi. Quæ omnia confirmat Lugo decisione quadam Rotæ R. sub die 3. Jun. 1602. Hæc omnia satis probabilem reddunt hanc opinionem, ut eam reprobare omnino non audeant Ludov. Abelly, & alii contrariæ doctrinæ patroni.

122. Ceterum quia negari nequit contractum hujusmodi periculo usuræ non carere, ut notat Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c. 1. censeo expedire, ut prima sententia universim suadeatur. Hic etiam notare oportet, per se non esse licitum contractum societatis, qui vulgo dicitur *ad caput salvum*, scilicet, quando pastori traduntur animalia cum pacto reddendi eadem omnino salva, & lucrum dividendi; quia sors debet stare periculo ponentis, cum res omnis domino suo pereat. Est tamen probabile, licitum esse hunc contractum, si adjiciatur pactum assecurationis, compensando pastori per majorem partem fructuum onus periculi sortis, quod in se suscepit. Ita Azor, Navarrus, Roncaglia, & alii.

CAPUT XIII.

De tutela, & Testamentis.

123. *Quæst. 1.* Quid sit tutor, & curator, & in quo differant inter se? Tutor est is, qui